Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26970
Copyright: Admont, Benediktinerstift

adhuc eius sanctitatis exempla in medium proferamus. Exemplum magne humilitatis Constantini imperatoris.

Qui venerabilis imperator dum turbari fidem Christi Arrianorum infestatione doleret. missis a latere suo principalibus viris. de universo mundo episcopos congregans. concilium universale instituit. Ubi fides Christi ab apostolis et prophetis predicata firmiter est ore sanctorum corroborata. illuminante eos gratia spiritus sancti. Ubi ipse tante humilitatis apparuit. ut humiliori sede quam omnes episcopi sederet in ipso concilio. Cumque quidam eorum alios accusarent. ait. Vos dii estis. ego sum homo. Non ergo dignum est ut homo deos iudicet. Inter vos causam audite. et pacem facite. Nam ego si viderem sacerdotem dei peccantem. clamide mea cooperirem eum. Qui etiam religiosissimus vir primus Romanorum imperatorum fidem veritatis patenter adeptus. licentiam dedit per universum orbem suo degentes imperio non solum fieri christianos. sed et fabricandi ecclesias. et tribuenda predia constituit. Denique idem prefatus princeps donaria immensa et fabricam templi prime sedis beati Petri principis apostolorum instituit. adeo ut sedem imperialem quam Romani principes possederant relinqueret. et beato Petro suisque successoribus ut prediximus profutura concederet. Ab illo etenim tempore et deinceps viri religiosi non solum possessiones et predia que possederant sed etiam semetipsos consecrarunt. edificantes basilicas in suis fundis in honore sanctorum per civitates ac monasteria innumera. in quibus cetus domino servientium convenirent. Denique reges et presides ac magistratus non solum hanc licentiam attribuunt. sed etiam ipsi propria largiti sunt per universa regna terrarum deo et eius ecclesie. Hec autem omnia ecclesiasticos viros custodire et ministrare synodus Nicena constituit. [illegible]

Que etiam synodus secularia negotia clericis interdixit. Ubi liquido patet ecclesiasticas res quamvis seculi videantur non tamen mundi sed veraciter dei esse. Et ideo non imperatoris non regis non alicuius